Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sexta Februarii.

M. FRANCISCO GOUEL, Doctore Medico, Præside.

An ingeniosi brevioris vitæ?

UT artis sic Naturæ opera motu continentur. Si quæ corporibus mutatio contingit, si quid oritur, si quid interit, maximam operis partem motus sibi vindicat. Hic in viventibus manifestius se prodit, ac sensu magis deprehenditur, nulla si quidem res alia magis quam motus viventia à vitæ expertibus discriminat. Illa in jugi versantur motu, hæc vero quieta jacent, & alta fruuntur pace: hinc quæ vitâ carent nullis fere mutationibus obnoxia diutissime permanent; contra quæ vitâ fruuntur varias mutationum vices subeunt, & statim ab ortu per varias ætates veluti per quosdam gradus ad interitum tendunt: at licet omnibus una sit expectanda nox, & calcanda semel lethi via, non eodem tamen cuncta feruntur passu, sed pro ut actuosis aut inertibus constant principiis, alia tardius alia celerius cursum conficiunt, ac longiorem aut breviorem vitam sortiuntur.

VITA definitur permansio caloris in humido. Ille ætheræ cujusdam naturæ particeps crasso densoque, ne citô avolaret, subjecto tanquam carcere quodam contineri debuit: hoc munus implet humidum, ut vocant, radicale, quod pinguis, & oleosæ cujusdam instar substantiæ tenuem illum calorem, & ad eruptionem continuô paratum suo sinu fovet, & veluti vinculis ac compedibus irretitum tenet: hic tamen quietis impatiens, & suæ semper retinens indolis nusquam otiosus manet, sed subjectum cui inest assiduo versat, alterando subigit ac tandem depascitur. Pro varia tamen quam habet cum humido mixtionis proportione diversimodè agit: Sic altius humore demersus, ac velut obrutus lentiori progreditur motu, at rerum dominio potitus citissimo rapitur cursu, & absumpto eo quo fovebatur pabulo absumitur ipse tenuesque evavescit in auras.

UT à caloris nativi in humidum actione perpetua ætatum ac temperamentorum diversitas, sic ab utriusque variâ inter se proportione varia oritur ingeniorum Indoles. Hinc homo homini plurimum præstat, & supra humanam sortem se se extollens tam fere à cæteris hominibus distat, quam isti à brutis animantibus differunt. Tanti discriminis causa non à cælo, non à syderum influxu, sed à diverso caloris motu repetenda. Caloris nomine spiritus per universum corpus diffusos intelligas. Hi primarium & præcipuum animæ in obeundis functionibus instrumentum perhibentur. Hanc ejusdem licet in omnibus hominibus essentiæ ac naturæ varie ad agendum determinant. Ab eorum tenuitate & perspicuitate ingeniosi fiunt: à crassitie & densitate hebetes & stupidi. Illi maturitatem quidem citius consequuntur, & ante tempus adolescunt, sed quem gremio gerunt calorem, is actuosus maxime tam assiduo micat, agitatur & ad humoris absumptionem tam citô festinat, ut actione continua magis ac magis fatiscens tandem præmaturam sibi ruinam moliatur.

NON bene conveniunt, nec in una sede morantur acumen ingenii, & longos in annos retinendæ vitalis flammæ apta temperies partiumque conformatio. Illud ex biliosi & melancholici succi mixtione prodit. Ab utroque spiritus generantur subtiliores, tersi, nitentes, & quales ad sublimia mentis opera requiruntur. Accedit nervorum tenuitas, cutis lævitas, & cerebri substantia mollior quam spiritus facile pervadunt, & in qua res objectæ citius inprimuntur. Hinc facilis apprehensio & intelligentia, rerum abstrusarum cognituque difficilium perceptio, hinc felix memoria quæ opes undique collectas & accersitas servat ad usus, & velut horreo quodam recondit: uno verbo sicco gaudet temperamento vis illa animæ quæ facit hominem præstanti ingenio præditum, ad vitæ vero diuturnitatem magna competit humidi copia, quæ caloris aculeos retundens illius impetum cohibet, & actionem refrænat, & quemadmodum ignis tenui vel crassâ accensus materiâ citius tardiusve extinguitur, sic calor vitæ opifex pro majori vel minori humoris primigenii quantitate breviores aut longiores moras in corpore viventis nectit.

FAUSTA ergo & infausta simul ingeniosi conditio, magnum quiddam est, & prope divinum cæteros homines ingenii fæcunditate, cogitationis celeritate, sermonis elegantia longo post se intervallo relinquere, mentem habere in omne argumentorum genus paratissimam, ad aliis imperandum comparatam, ad laudem gloriam, & patriæ decus natam: at quanto pretio stet illa mentis acies, & virtus sublimior testis est infelix illa nutritionis ratio, qua raptis maxima ex parte ad cerebrum spiritibus cæteræ partes inopes suis ægre funguntur muneribus, & vix alimentis probe conficiendis sufficiunt: accedunt graviores curæ quibus discruciantur ingeniosi, negotiorum multitudo quibus implicantur, animi pathemata quibus vehementius torquentur, quibus omnibus commoti, & magnâ copiâ dissipati spiritus præproperam inducunt moriendi necessitatem.

Ergo ingeniosi brevioris vitæ.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus Goüel, Præses.
M. Antonius Varin.
M. Nicolaus Brunel de la Carliere.
M. Claudius Gu[illegible]n.
M. Paulus Ma[illegible]t.
M. Carolus le L[illegible]g.
M. Ludovicus Morin.
M. Petrus Lombard.
M. Philippus Mathon.

Proponebat Parisiis CAROLUS CONTUGI, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1687.